

ANte annum, Philyres linquentem limina lin-
Mœnia, præcessi te, Argyropea petens: (quês,
Tené salutando Me jam præcêsse IEHOVAM?
Me-Christe: Hoc, sequerer quam, vocitante, lubens.

M. GEORGIUS MÆRISCH
Olaviâ. Silesius: Argentinx Alsatprum,
XI. Augusti, anno MDCXXIV.



Exscripta BREGÆ, Typis Augustini Gründeri.



RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
JOANNES BACMEISTERUS,
Phil. & Med. Doct. ac Professor,

AD
Exequias funebres

quas
**DN. BALTHASAR
BRESLERUS**

Uratislaviensis,

Fratri suo desideratissimo

GEORGIO

paratas cupit,

Omnes omnium ordinum cives Aca-
demicos officiosè & amanter in-
vitat.



Rostochi

Typis PEDANIANIS,

ANNO cl^o l^o CXXVI.



RECTOR

ACADEMIÆ ROSTO-
CHIENSIS,

JOANNES BACMEISTERUS,

Phil. & Med. D. ac

Professor.



*V*ix elapsum est octiduum,
quando nostri ordinis juve-
nem patritium extulimus:
Hodie, proh dolor, iterum al-
teri cuidam studioso adole-
scenti iusta faciemus. Ita
nihil firmum & stabile est in
rebus humanis. Unus nascitur, alter moritur.
Ea enim est omnium hominum conditio ut emeti-
antur confragosum hoc mundi iter, quod omnibus
est propositum. Imperet igitur, ut cum Seneca lo-
quar,

537340

quar, equitas animo, & sine querela mortalitatis
tributa pendamus. Hyems frigora adducit, algen-
dum est; aestas calorem refert, aestuandum est; in-
temperies cœli, valetudinem tentat, agrotandum
est; & fera nobis loco occurret, & homo pernicio-
sior feris omnibus; alium aqua, alium ignis eripiet.
Hanc rerum conditionem mutare non possumus, id
possumus, magnum sumere animum & viro di-
gnum, quo fortiter fortuita patiamur, & natura
consentiamus. Natura autem hoc, quod vides re-
gnum, mutationibus temperat, nubilo serena succe-
dunt: turbantur maria, conquieverunt: flant in-
vicem venti; noctem dies sequitur: pars cœli consur-
git, pars mergitur, contrarijs rebus aternitas con-
stat. Ad hanc autem legem animus noster aptan-
dus est, hanc sequatur, huic pareat, & quacunq;
fiunt debuisse fieri putet, nec velit objurgare natu-
ram. Optimum enim est pati quod emendare non
possis, & Deum quo authore cuncta eveniunt, sine
murmure comitari: malus miles qui Imperatorem
suum gemens sequitur. Hac quamvis ita sese ha-
beant, tamen longè aliter nos qui Christiani sumus
& sentimus & loquimur. Inquit enim scriptura
Homo natus de muliere, brevi tempore vivēs reple-
tur miserijs; quam sententiã ita explicat D. Bern-
bardus: Consideranti tibi quis sis, occurret homo

A 2

1. do

1. dolens, quod homo sit 2. erubescens quod nudus sit 3. plorans, quod natus sit. 4. murmurans quod homo natus sit de muliere, atq; ita cum reatu; 5. brevi vivens tempore, atq; ita cum metu, 6. repletus multis miserijs atq; ita cum fletu; miserijs corporis, miserijs cordis; miserijs dum dormit, miserijs dum vigilat, miserijs quoquo se vertit. Fidem & firmitermentum huic sententiae, ut longè gentium asseramus non est opus. Exempla domi sunt, ne quaramus foris. Intueamur hodiernum funus, quod fiet praestantissimo adolescenti, Dn. GEORGIO BRESLERO Uratislaviensi Silesio: intueamur in eo, felicitatis humanae inconstantiam, & vitæ humanae brevitatem. Mundi hujus lucem, si modo lux dicenda est, primum intueri ille capit Anno 1607. die 19. Septemb. Uratislavia, prognatus ex honestissimis parentibus, patre quidem GEORGIO BRESLERO, cive ac mercatore primario, matre vero MARIA Kraim / qui hunc filium, in quo à puero, singularem deprehendebant indolem, ita educatum, praeceptoribus publicis & privatis commiserunt, ut & ipsos decebat, & indoles, pueri postulabat. Quo factum ut pietatis doctrinam, unâ cum lacte materno instillatam & puer addisceret imprimis & grandior teneret, auctamq; meditando in concionibus sacris diligenter & atten-

re au-

re audiendis confirmaret. Cui linguarum & artium cognitionem adjunxit eam, qua nec vulgarem ^{ovveav} & eximiam animi sui sensa proferendi, tam ligataquam soluta oratione, facultatem, quam Graeci ^{duoapuv} ^{εργον} ^{δουλω} dicunt, jam in schola patria ostenderet, ac praeter ceteris egregiè praeceptoribus suis probaret. Quo ejus profectu permoti parentes, cum unâ cum fratre germano BALTHASARO, in Academiam mittendum censuerunt, & quidem hanc nostram, tum quod eam in hoc publico, & ferè communi totius Germaniae incendio, mediocriter pacatam intelligerent, tum quod purioris religionis usu & exercitio eandem florere & gaudere scirent. Itaq; die 28. Februarij, hoc ipso anno, parentum Consilio ex patria profecti fratres BALTHASARE & hic GEORGIUS, cum tertio, uti itineris, ita studiorum quoq; socio SEBASTIANO MULLERO, Francofurto ad Oderam ad nos venerunt, & quidem cum illos non nemo illic retinere studisset, orthodoxa religionis amori & cultui, quam illic desiderabant, omnes promissiones postposuerunt, quibus ad manendum fuerant invitati. Venerunt igitur & Collega nostro honorando Dn. M. JOANNI HUSWEDELIO commendati, in convivium & contubernium recepti, studia linguarum & artium philosophicarum in-

A 3

privæ-

privatis & publicis Collegijs sunt auspiciati, quas
ad Medicinam cui BALTHASAR, & juris-
prudentiam cui hic GEORGIUS animum adjun-
xerat, ducere & ex doctis audiverant rectè judican-
tibus, & ipsi jam experientia & usu discere cepe-
rant. Quo in cursu GEORGIUS piè defunctus
præcipuè talem se præstitit, ut, si quid iudicio ac te-
stimonio hospitis tribuendum est, brevi tempore non
exigua opera prætia facturum fuisset, si Deus vitam
diuturniorem ipsi concessisset. Ita enim in varijs
dissertationibus de studijs litterarum, Logica, Ora-
toria, Poëtica, de quæstionibus Philosophicis, theore-
ticis, practicis privatim vel in musæo, vel etiam in
mensa cū hospite habitis se gessit, ut ei & ingenij fe-
licis præstatiam, & iudicij pro atate rectitudinē sa-
tis superq; probaret. Cum verò visum fuerit Deo
omnipotenti ex hac vita eum evocare, & in cœlestē
transferre, factum est, ut antè dies octo vel novem,
incommodiori valetudine uti inciperet, licet non-
dum decumberet, quæ in febrem continuam eamq;
malignam degeneravit, cujus initium in publica
cui intererat lectione, sentire cepit. Licet autem
principiò bona spes restitutionis affulgeret; tamen
continuantibus vigilijs & symptomatibus ingra-
vescentibus, sexto die, qui sæpè tyrannus est, di-
centibus Medicis, à decubitu, viribus planè prostra-
tis,

tis, paulò antè 2. matutinam diei Lunæ piè & pla-
cidè obdormivit. Finis ejus planè similis fuit vi-
ta, quam hic apud nos egit. Uti enim prætati de-
ditus erat, modestia, sobrietati, mansuetudini,
adversus nemini, patiens, si quid adversi accideret;
ita omnes illas virtutes in ipso quoq; morbo exer-
cuit. Servatorem suum assiduè, ut in animo, ita
in ore frequenter habebat, & quidem præcipuè sub
vita finem. Cum enim ei præiret contuberna-
lis precando, & inter cetera diceret; Tu fessè
Christe redemisti me, ille arrepto hoc sermone
ME, ME, REDEMIT, inquam, in-
geminavit, atq; ita compositis manibus & oculis
in cælum elevatis, huic Redemptori suo beatam a-
nimam à quo ante annos novendecim, dempto ses-
quimensæ, eam acceperat, quasi somno placidissimo
consopitus, reddidit. Deus illi latam resurrectio-
nem in die novissima; parentibus verò, qui ambo
adhuc superstites, fratribus, sorori, & matertera,
ad quos hic dolor præcipuè pertinet, spiritum conso-
lationis efficacis largiatur, ut insperatum hunc ca-
sum patienter ferant, & in divina voluntate piè
& Christianè acquiescant. Fient autem præ-
stantissimi hujus adolescentis exequiæ hodiè hora
media prima in templo Jacobæo ad quas omnes Ju-
risdictionem nostram agnoscentes Dominos Pro-
fessor

fessores, D. D. M. M. Ecclesie ministros,
& Studiosam iuventutem officiosè & peramanter
invitamus, neq; dubitamus quin omnes boni, hoc
benevolentia officium, pie defuncto ultrò sint pra-
stituri, seq; aded ipsos, Ecclesiam, Rempubl. litte-
rariam & civilem, Deo misericordissimo, cala-
mitosissimis & tristissimis hisce temporibus pijs
precibus commendaturi. P. P. 26. Julij An-
no M. DC. XXVI.



BEATISS: MANIBUS
GEORGII
BRESLERI
URATISLAVIENSIS,

Adolescentis pietate, virtute
& eruditione pollentissimi,

hac sui adfectus indicia

HOSPES, CONVICTORES
ET AMICI.



ROSTOCHI
Literis JOACHIMI PEDANI,
ANNO M. DC. XXVI.